



# ERMANNVS

DEI GRATIA SANCTAE COLONIEſIS . eccleſiæ Archiepiſcopus, Princeps Elector, Weſtſaliæ & Angariæ dux, ac Adminiſtrator eccleſiæ Paderborneſis. &c. Omnibus ac ſingulis Parochis, alijsq; diuini verbi miniſtris

per noſtras ciuitates ac diocœſes conſtitutis, ſalutem in domino ſempiternam.

**E**nchiridion doctrinæ Chriſtianæ, quod vobis in Concilio noſtro prouinciali nuper polliciti ſumus, præter inſtitutū noſtrum in iuſtum exiit volumen, quod tandem, deo authore, reddimus. Maluiſſemus certe ſi licuiſſet, Enchiridij metas nequaquã excedere, verū cum in progreſſu experiremur, res quaſdam maximi momenti, quæ in præſentia, quorundam nouatorum curioſitate ſumma cum eccleſiæ iactura contrauertuntur (veluti ſunt ille, de authoritate eccleſiæ, de hominis iuſtificatione, de ſacrificio miſſæ, ac ſimiles cõplures) tam paucis explicari non poſſe, vt libellus intra Enchiridij anguſtias contineretur. Et tamen veſtra omnino referre ſentiremus, vt hæc res ad catholicæ eccleſiæ ſententiam diligenter expenderentur, ac q̄ fieri poſſet explicate traderentur, quod alioqui omnis noſter labor nullum fructum facturus videretur, potius viſum eſt, libro per nos ædendo aliud nomen a iam designato indere, q̄ cõmittere, vt vos ignoratis illis, quæ ſine graui periculo, præfertim hac tempeſtate ignorari non poſſunt, non ſolum ipſi impingeretis, ſed & populum vobis conceditum in eandem ruinam vobiſcum traheretis. Quamobrem ne vel hinc quiſpiam anſam calumniandi arripiat, per nos plane licebit, vt qui hunc quem damus librum ob ſui magnitudinẽ Enchiridion propriæ vocari ac inſcribi non poſſe arbitrabitur, is eundem aut Inſtitutionẽ doctrinæ Chriſtianæ, aut Compendium Chriſtianæ inſtitutionis, aut ſi malit alio quolibet nomine appellet, modo tamen operam noſtram boni conſulat, & quæ pro noſtra exiguitate in medium adferimus ſic accipiat, tanquam ab eo profecta, qui non ſuæ, ſed communi eccleſiarum ſibi commiſſarum vtilitati in ſolius Chriſti gloriã tantisper ſaltem proſpicere voluerit, donec generali Concilio publicis totius eccleſiæ rebus prope collapſis ſalubrius fuerit prouiſum. Erunt ſcilicet q̄ plures, qui hunc conatum noſtrum, vel non probabunt, vel etiam arodent ac reprehendent. Quidam enim prophanam eruditionem ac venuſtam ſermonis elegantiam requirunt. Sed hi ſciant, hæc nos nõ delicatis hominibus, ſed noſtris parochis, alijsq;

K iij verbi